

2755

## C O D I C E S

2756

bam, quo ab aliis *Collationibus* in eodem negotio habitis dignoscatur. *Exulta et lauda habitatio syon, quia magnus in medio tui sanctus ysrael. ysaiæ XII<sup>o</sup>. Felicis recordationis dominus J. (Iohannes) papa XXII. predecessor noster volens inducere ad exultationem et gaudium, laudem et iubulum ecclesiam militantem super adempta gloria domini yuonis beloy presbiteri Trecorensis ecclesie &c.* Iam enim apud hunc Joannem de Ivone Coelitibus inscribendo egerant *Britanni.*

Ex indice ad *Cod.* calcem adjecto deprehenditur, *Collationes duas* ab eodem avulsas fuisse. Primæ titulus est: *Contra archiepiscopum Maguntinen. Filius noster iste proteruus &c.* Alterius: *In deposicione eiusdem Archiepiscopi. Cum iudicatur exeat condempnatus &c.* Utraque fuit in saepe memorato *Cod. Remensi*, ut ex *Baluzii notis ad Vit. Papar. Aven.* p. 863. observo. Archiepiscopus is, ut jam dictum, *Henricus* erat *Virnenbergius* afflecla *Ludovici Bavari.* Latas in eum annis 1343. et 46. sententias a *Clemente*, qui illi *Gerlacum Nassovium* substituit, recitat *Od. Raynaldus* in *Annal. eccl.* neque tamen *Collationum* praevariarum meminit, uti nec *Nic. Serarius* in *Reb. Mogunt.* Codicem intus utrinque munit membrana continens *Raimundi Isenward Sacristae Eccl. Avenion.* insinuationem literarum *Clementis VI.* in quibus *postulato Caroli Rom. Regis* mandatur *Gerungo de Pirbo* um clerico *Patav. Dioec.* provide-

ri de beneficio, cujus collatio vel praesentatio spectat ad *Abbatem* et *monasterium O. S. B. in Mansée* (alias *Lunaelacense Auftr. super.*) *Patav. Dioec.* factam *Episcopo Patavien*si, et memorato *Abbati*, amputatis tamen in fine notis chronologicis. Confer *Cod. seq.*

## DCCLVIII.

*Codex chartaceus lat. Sec. 33<sup>a</sup>* XIV. Folior. nunc 161. f. est enim principio mutilus, per duas columnas currente calamo exaratus, rubricisque notatus continet *Petri Rogerii Lemovicenf.* ex *Monacho O. S. B. Archiepiscopi Rotbomag.* et tandem sub *Clementis VI.* nomine *Rom. Pontificis*, qui sedem ab an. 1342. ad an. 1352. tenuit, et *Aliorum* quorundam *Sermones Sacros*, quos, ut *Cod.* praeced. non tam materiae, quam *Historiae lit. caussa* ordine indicabimus a *Secundo* exorfi, cum *Primi* exordium desit. *Sermo ejusdem magistri palacij sacri factus in die beatissimi Michaelis.* In illud: *Angelis suis mandavit &c. Beatus Bernardus in sermone de angelis &c.*

II. fol. 5. p. 2. *Sermo Sancti Vincencij per procuratorem ordinis minorum.* In illud: *Exiit vincens ut vinceret &c. Consuetudo fuit laudabilis in palacijs &c.*

III. fol. 8. p. 2. *Alius Sermo de sancto Vincencio per generalem Ministrum minorum.* In idem Thema. *Secundum philosophum res que est in proxima potentia ad actum &c.*

&c. *Vincentius* hic Martyr *Hispanus* est, non *Ferrerius* O. P. tunc fortasse vix natus.

IV. fol. 10. *Sermo generalis minorum in die parasceues coram papa* (Joanne XXII. Avenione) factus *An. domini M. CCC. XXXI.* In illud: *Per proprium sanguinem suum introiuit &c. Scripture sacre nos docent tres fuisse materiales domos dei &c. Minister generalis erat F. Gerardus Odonis Jobanni familiaris, ut notat Waddingus in Annalib.*

V. fol. 13. *Sermo quem fecit dominus P. (Petrus Rogerii) rothomagen. archiepisc. in cappella domini nostri pape* (ut ante) *dominica in XL. Anno domini M. CCC. XXXII. secundum computationem ecclesie romane. XXXI. secundum computationem ecclesie gallicane. VIII. die marcij.* In illud: *Ihesus ductus est in desertum &c. Videtur mihi quando aliquis habet inire &c. Sermo hic habetur etiam Cod. praeced. cum aliis Clementis sed absque ejus nomine. Diversa computatio ab usu diverso annum inchoandi.*

VI. fol. 17. *In Parasceue de passione domini Sermo magistri sacri palacij factus ad clerum in aunionem multum bonus.* In illud: *Ecce morior cum nihil horum fecerim &c. Beatus gregorius V. moralium loquens &c.*

VII. fol. 19. p. 2. *De sancto Thoma Sermo magistri Jacobi de tholosa de ordine fratrum Heremitarum sancti Augustini.* In illud: *Oculus meus uidet te &c. Beatus Gregorius doctor egregius confide-*

*rans &c. Thomas* Apostolus est; Orator vero *Jacobus Folquerii*, qui an. 1345. *Clementi VI. Viridarium Gregorianum* dicavit. Ad *Offingeri Biblioth. O. S. A.*

VIII. fol. 21. p. 2. *Dominica XXII. post festum trinitatis sermo archiepiscopi antibarenensis de ordine fratrum predicatorum.* In illud: *Redde quod debes &c. Nos videmus in naturalibus artificialibus &c. Oratorem hunc antiquiores Scriptores Dominicanum F. G. Adae adpellant, sed Quetifus T. I. p. 724. Sultaneensem vult Archiepiscopum F. G. Adae dictum, quin tamen alium Antibarensem substituatur.*

IX. a fol. 24. *Sequuntur Sermo de S. Nicolao. Sermo in (quadam) Dominica. Sermo de Natiuitate Domini. Sermo de sancta Lucia per lectorem sacri palacij. Collatio magistri sacri palacij pro conceptione uel natiuitate christi et habet locum circa textum mathei euangeliste super uerbo. cum esset desponsata mater ihesu &c. Sermo dominica. V. post octauam Epiphaniae. Sermo de sancta katerina factus per magistrum minorum. Nihil ex his eruas.*

X. fol. 34. *Sermo dominica secunda. post octauam Epiphaniae. magistri Ja. aug. In illud: Vade ostende te sacerdotibus &c. Beatus gregorius doctor egregius XIX. libro moralium &c. Est hic Jacobus Folquerii de Tolosa supracitatus.*

XI. fol. 36. p. 2. *Sermo factus in die cinerum in domo fratrum minorum per lectorem eorum et similiter collatio subsequens. In illud: Cine-*

2759

## C O D I C E S

2760

*Cinerem tamquam panem manducabam &c. Si quereretur karissimi bodierna die et in hoc loco &c.* Collatio vero subsequens inscribitur: *Sermo de sancto mathia factus per Magistrum theologie dominum Helyam ordinis minorum.* In illud: *Scidit dominus regnum israel &c. Secundum quod dicitur Prou. XXX. per tria mouetur terra &c. Etiam hunc dictum de Nabinalis gallum, et jam Archiepiscopum Nicosiensis. Clemens VI. an. 1342. purpura et titulo S. Vitalis decoravit. Vide Vitas Clementis in Baluzii T. I. Papar. Avenion. et Waddingi Scriptt. O. M.*

XII. fol. 42. *Sermo magistri sacri palacij factus in capella domini cardinalis de monte fauencio.* In illud: *Domum tuam decet &c. Domus dei quantum spectat ad propositum &c. Bertrandus de Monte Fauentio Caturcensis Cardinalis factus est a Joanne XXII. an. 1316. Baluz. in Vit. cit.*

XIII. fol. 45. *De tribus hostibus generis humani.* In illud: *Vincenti dabo stellam matutinam &c. Quin totum tempus vite humane &c. Prolixus Sermo, in Cupita divisus, ut liquet ex Indice ei subiecto.*

XIV. fol. 51. p. 2. *Sermo in dominica circumdederunt (Septuagesimae) per lectorem palacij fratrem Harmandum.* In illud: *Quid hic statis &c. Videmus hic in romana curia quod uolens a papa aliquid obtinere &c. Lector hic Armandus est de Bello Visu O. P. qui an. 1333. obiit, Lector et Magister Sacri Palatii, de quo*

plura Quetif. T. I. p. 583. Ad quem itaque etiam ex praecedentibus *Sermones* quidam pertinebunt.

XV. a fol. 53. p. 2. sequuntur: *Collatio per doctorem (lectorem) palacij, de penitentia. Sermo de S. Gregorio (Pontifice). Collatio magistri ordinis predicatorum die cene auinione. Sermo in dominica reminiscere.*

XVI. fol. 58. *Sermo magistri francisci de ordine minorum factus in die ascensionis domini.* In illud: *Exultauit ut gigas &c. Duo sunt misteria sollempnia pertinencia ad personam domini &c. Franciscus ne hic Asculanus, qui aliquamdiu Michaeli de Caesena contra Johannem XXII. adhaesit? an potius Franciscus de Mayronis scriptis multo clarior? Adhaerent huic Sermoni alii duo ejusdem, ut fert inscriptio, Francisci: Prior de eodem. Alter de spiritu sancto.*

XVII. a fol. 62. p. 2. sequuntur: *Sermo de eodem spiritu sancto. Sermo dominica VI. post pentecosten. Sermo dominica IX. post pentecosten. Dominica XIII. post pentecosten Sermo. In conuersione sancti pauli sermo. Sermo magistri karmelitarum factus in die dominica post octauam epiphaniae.* Omnes anonymi praeter ultimum, cujus auctor fuerit Guido Perpinianus XII. Prior generalis e Lucii Biblioth. Carmelit. p. 32. sed vide dubium, quod movet Baluzius in not. ad *Vitas Papar. Avenion. p. 577.*

XVIII. fol. 72. *Sermo quem feci ego. P. (Petrus Rogerii, postea Clemens VI.) Rothomagensis Archi-*

*Archiepiscopus in presentia domini nostri pape (Johannis XXII.) et dominorum Cardinalium in die natiuitatis beate mari Virginis. Anno Millesimo trecentesimo. XXXII. In illud: Quasi flos egredietur &c. Videtur mihi quod Jos in suo egressu &c. Habetur etiam Cod. praeced. sed ibi sine auctoris nomine.*

XIX. fol. 76. titulo de Flagellatoribus habetur insulsum de hac Secta Prognosticon ex *Albumasar*, *Hali*, *Messabalem* aliisque Astrologorum ueroibus deductum, quod incipit: *Anno domini. M. CCC. XLIX. 2 die mensis Marcij. hora tertia post gallicantum completa, Intluit sol principium arietis, et erat in ariete sol et saturnus. In pisibus Mars et mercurius. In geminis Iupiter. In aquario venus. In scittario luna et ascendens capricornu. Ex hoc facta figura dispositionis celi inuenta est talis &c.* Atque uinc jam uaticina deducuntur: *Erit noua secta — hec secta in peregrinatione multiplicabitur miraliliter — intrabunt quidam clerici, armigeri, ciues, mulieres — incipiet in oriente et procedet ad damanniam — cultores maxime currunt versus septentrionem — habebunt caput saturninum pileis alti griseis uelatum. Et sic porro de uerendorum alba veste, de percussione acuum cum effusione sanguinis non tamen sine ypocrisis, de horribili casu super terram et in modum crucis &c. quorum omnium ratio e coeli figura adfertur. Sub finem addit Noster: Credo, quod in principio erit uelox secta in fine uero debilis*  
Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

*et non discrepabit multum a secta christianorum. E quibus uerbis auctor Hebraeus quis aut Arabs uideri possit. Sed nempe tarde adsumsit parabolam. Iam enim seculo praecedente coepere Flagellatores, ut collecta Chronicorum testimonia in eorum Historia a Jac. Boileauio tradita liquidum faciunt.*

XX. fol. 76. p. 2. *Item de flagellatoribus. Uti praecedens Anonymus ex astris, ita praesens, Hermannus fortasse de Scildis O. S. A. e diuinis Literis τὸς Μασίγοφορῶν describit, initio sic dato: Deus uenerunt gentes in hereditatem tuam. polluerunt templum sanctum tuum. Psalmista reprobat flagellatores in multis argumentis inueniens. Deus uenerunt gentes &c. Hoc est quod flagellatores temeraria audacia ingressi sunt Ecclesias dei suo turpissimo sanguine altaria et loca sancta lamentabiliter inquinauerunt &c. Non tamen ex solo hoc Psalmo LXXVIII. colores suos mutuatus est, neque ridiculum, ut solet, satis cavit. Ita legas: *Nudant se a pedibus usque ad caput. Denudasti fundamentum id est. pedes usque ad collum. Caput suum uelant et cantant. Caput circuitus eorum labor labiorum ipsorum operiet eos. Circa lumbos erant precincti et sic cadebant ad terram. Ipsi obligati sunt et ceciderunt &c.* Interim tamen non spernendam confert *συμβολην* ad penitientem Sectae huius cognitionem.*

XXI. fol. 77. *Contra flagellatores processus. Est Bulla Cle-*  
men-

2763

## C O D I C E S

2764

mentis VI. qua damnantur. Incipit: *Inter sollicitudines innumeras et immensas &c.* estque hic inscripta *Archiepiscopi Treuren. Moguntin. et Colonien. eorumque Suffraganeis*, cum T. XI. *Colleg. Concc. Labbaei col. 1876.* et T. VII. *Harduin. col. 1641.* ad solum *Moguntinum* dirigatur. Apud *Raynald. in Annal. ad an. 1349. n. 20.* exordio trunca est, ab iis verbis: *Sane molesta nobis &c.* incipiens, et *Magdeburgensem* praefert. Apud *Bzovium* faltem ad b. a. non reperitur, utut adserat *Boileavius in Hist. supracit. p. 291.* ubi et illud errat, *Flagellantes a Clemente Anagniae*, quo ille nunquam accessit, condemnatos fuisse. *Avenione* data est *Condemnatio XIII. kl. nouemb. Anno octavo videlicet anno domini M. CCC. XLIX.* Sed nempe plura sunt, quae in illo *Libello* desideres.

XXII. fol. 78. *De anno Iubileo.* Est *Constitutio Clementis VI. de Iubileis* anno quovis *quingagesimo* celebrandis. Incipit: *Vnigenitus dei filius de sinu patris dignatus est descendere &c.* Data: *Auinione VI. kal. februar. pont. nostri anno primo. hoc est*, addit *Librarius, anno domini M. CCC. XLIII. Extat Extravag. Commun. L. V. de Poenit. et Remiss. c. 2. et in Aguirrii Concc. Hisp. T. III. p. 612.*

XXIII. fol. 80. *De Epiphania domini.* *Sermo domini Petri Card. Rotbomagen. postea pape.* *Annus et alia abscissa sunt.* In illud: *Signum magnum apparuit &c. Beatus*

*Bernardus sermone III. huius festiuitatis &c.* Non habetur *Cod. praeced.*

XXIV. a fol. 92. *Sermo ἀνεπιγέαφος* in illud: *Si in digito dei eicio demonia &c. Mos est hominum per hostilem potentiam oppressorum &c. Ex Exordio* liquet ad *Dom. III. Quadrag. pertinere. Sermo in dominica XXI. Episcopi Bisuntini.* Sed tempus non adsignatur.

XXV. fol. 100. *In Natiuitate sancti Iohannis Bapt. archiepiscopi rotbomagn.* Ergo *Clementis VI.* In illud: *Quis putas puer iste erit &c. Videtur mihi quod sapientes et prouentes consueuerunt &c.*

XXVI. fol. 103. *Sermo factus in morte domini Jacobi Gaytani tituli Sancti Gorgii dyaconi Card. per dominum Petrum tituli sanctorum Nerei et acillei presbiterum Card. et nun papam Clementem VI.* Scriptus igitur hic *Sermo* ante 6. *Decembr. 1352.* quo *Clemens* obiit, iabitus vero, ut *titulus innuere* videtur, ante *ejus Papatum*, ac quem cum a. 1342. 7. *Maji* adsumtus fuerit, *perperam Ciaconiu Jacobi Cajetani de Stephaneschis Card. mortem* in an. 1343. *extrait T. II. col. 324.* *Thema: Tempus tribulacionis est Jacob &c. hitium: Beatus Augustinus XXX. de Ciuitate dei c. II. dicit sic le morte corporis &c.* *Per decursun in laudem Defuncti: Protuli Jacobus hodie ante tribunal iudicis non quidem sacculum pecuniarum et florenorum — Non etiam protulit cumulum preben-*

bendarum et beneficiorum. Notandum quod volebat accipere beneficia &c. Cetera vaga et cuilibet Viro probo propria sunt. Dicitur plus quam octuagenarius excessisse. Et reipsa annos 84. illi tribuit Ciaconius l. cit. Sub finem citato Macchab. II. c. 12. Sancta et salubris est cogitatio &c. additur: licet forte ut pie credendum ista pena sit sibi propter plenariam indulgentiam quam dominus noster (Papa) sibi concessit sublata. Nihil de hoc Sermone Baluzius, qui tamen sequentem novit.

XXVII. fol. 104. p. 2. Sermo ejusdem factus in exequijs domini Neapoleonis (de Urfinis) dyac. Card. M. CCC. XLII. in die Annunciacionis beate virginis que fuit XXV. die Marcij et erat feria II. post palmas pro illo anno. Per nunc papam Clementem sextum. Iterum igitur falsus Ciaconius, dum Viri hujus, qui 57. circiter annos in purpura egerat et 7. Pontificibus interfuerat, annum emortualem 1347. prodit. Vide T. II. col. 268. Thema Sermōnis: Leonem et ursum interfeci &c. Initium: Beatus Augustinus yponosticor. Responsione prima contra pelagianos et celestianos &c. Excerpta quaedam inde dedit Baluzius Notar. ad Vitas Papar. Avenion. p. 601. quae Virum propius spectabant. Ego adjiciam, Oratorem mire ludere in tribus syllabis, quae in Defuncti nomine Leonem praecedebant, nempe Ne, a et po; abhorruisse scilicet illum a tribus Ne: Ne deus recordaretur de suis flagicijs. Ne perderetur

cum impijs. Ne priuaretur diuinis beneficijs. Habuisse triplicem interjectionem A (ah) propter exterminium inimicorum, propter tedium terrenorum, propter desiderium eternorum. Item triplex Po; In polo est ejus porcio et possessio sicut in loco tuciori. possessio sicut in agro vberiori. potacio sicut in potu suauiori. Similis lusus est in divisione Gentis Ursinae in Ursum de Ponte, in Ursum de Monte, et in Ursum de Flore.

XXVIII. a fol. 107. p. 2. sequuntur: Dominica XXII. post festum trinitatis Sermo ad Clerum. Item Sermo de Circumcisione Domini. Uterque ἀδελφοτος. Festum Trinitatis solenniter celebrari praecepit Johannes XXII.

XXIX. fol. 121. Sermo factus per Clementem papam sextum in festo omnium Sanctorum pontificatus nostri Anno Primo. XLII. Thema: Sufficiat vobis quia omnis multitudo &c. Initium: Philosophus I. Ethic. dicit, quod ad beatitudinem seu felicitatem &c. Habetur sine Autoris nomine Cod. etiam praeced.

XXX. a fol. 125. sequuntur: Sermo absque inscriptione, sed in vigilia Nativitatis, sine mutilus. Alter, pariter sine inscriptione in illud Matth. IX. Filia mea modo defuncta est &c. et ipse mutilus. Tertius de sancto Andrea factus per generalem ministrum ordinis fratrum minorum.

XXXI. fol. 133. Sermo de sancto Augustino factus in domo fratrum heremitarum ord. Sancti Augustini per Reuerendum in christo

2767

## CODICES

2768

sto patrem dominum Card. Rothomagensem pro nunc papam Clementem sextum. In illud: Neptalim ceruus emissus &c. Videtur mihi et sensus ac experientia hoc docet &c.

XXXII. fol. 138. Sermo factus per Dominum Clementem VI. in die cene domini summo mane in publico, anno Domini M. CCC. XLIII. contra Ludovicum de baularia. In illud Apoc. XI. Atrium quod est foris, eice foras. Initium: Remigius super Apoc. li. III. pertractans ista uerba &c. Constat ex historia, Clementem vix tiara potitum violenta Johannis XXII. confilia contra Ludovicum resumfisse, instigantibus maxime Johanne Bobemiae, Philippo Galliae et Roberto Siciliae Regibus, eique per Legatos supplicium tam duras dictasse conditiones, ut non sine Procerum Germaniae consensu rejici ab eo debuerint. Hoc igitur Sermonem omnem accusationum cramben recoquit, et ita concludit: *Istum ergo foras eicimus sententias et processus contra eum habitos propalando et publicando; sed ut iusticiam misericorditer temperemus ad huc foras non eicimus sententias aggravando, sed decernimus ad huc per tres menses ipsum expectare, rogantes eum, cuius uices licet immeriti in terris gerimus, ut velit auferre cor lapideum de carne sua, ut uere penitens ad gremium sancte matris ecclesie redeat et intus recipi mereatur, ut eius spiritus saluus fiat in die iudicii. Quam salutem nobis et sibi concedat, qui est Benedictus in*

secula seculorum Amen. Non meminit Sermonis hujus Baluzius, neque Oudinus, quem adeo ἀνεκδοτον puto.

XXXIII. fol. 142. Collatio facta in processibus factis contra Baularum in cena domini XIII. die Aprilis Anno IIII. Is est 1346. Sermonis hujus, ut verbo Alberti Argentin. in Chronico ad b. a. utar, crudelissimi Initium et alia quaedam excerpfit Baluzius in Notis cit. col. 862. Thema est: *Hereticum hominem post unam et secundam correptionem deuita &c.* cui fidelis Orator ab ovo usque ad mala *Haeresin* et *Haeticum* insonat. Sub finem Pauli loco I. Cor. 5. *Ego enim absens corpore presens autem spiritu &c.* pro anathematis formula utitur. Verum, qui legis *Ludovicum Bav.* condemnatum, lege etiam *J. Ge. Herwarti Ludovicum Bav.* defensum, *Monach.* 1618. 4.

XXXIV. fol. 150. Collatio facta per dominum Clementem papam — — Reliqua tituli abscissa. Sed est Oratio, qua *Ludovico ab Hispania Cerdano et Claromontano Comiti Insulae Fortunatae* cum corona et scepro conferuntur, de qua egimus *Cod. praeced.*

XXXV. fol. 156. abscisso titulo *Querelae* supplices Cujusdam, qui infelicitatem et inimicos suos accusat, iuvarique petit a Pontifice, ut videtur, *Clemente VI.* Interrogat enim: *quando petrus caput Ecclesie pater omnium et ianitor celi illos repulit quos uocauit, et eos deseruit quos assumpsit? — quando eius vicarius pater orbis*

2769

## H O M I L E T I C I.

2770

orbis inhumanus extitit humanis  
 creaturis? — Tollat mentis ama-  
 ritudinem clemens pater &c. Lon-  
 gam ceterum texit ταυτολογίαν, e  
 qua nihil intelligas, nisi ablatam  
 fibi, quam habuerat, modicam  
 prelaturam. Incipit illa: *Apperi  
 labia mea deus et tenebras loquen-  
 tis illustra ut sit efficax sermo meus*  
 &c. Sub medium legitur: *nappa  
 processibilis pro clareto. Vappa re-  
 scribendum puto, cum Clareto op-  
 ponatur, sed ἐπιθετον non adfe-  
 quor.*

*Petre clemens tam re quam no-  
 mine,*

*Cui nascenti tonantis dextera  
 Non defuit quin ymo cardine*

Nec *Pierides* absunt:

*Harum solus precellis dotibus,  
 Harum dono cuncta gymnasia*

Subjicitur votum: *Deterreat*

*Clangor tube turcorum pectora,  
 Despiciant augures mempheos,  
 Consoletur tristis armenia,*

Pars altera in margine dicitur *Motetus*, termino vel hodie tecnico,  
 et infit:

*Lugentium siccentur oculi,*

Et post laudes:

*Tu cirrei sinus appollinis  
 Parnasijque uigor certaminis  
 Pbitonistas heresis ubere*

XXXVI. fol. 157. Plaufus  
 Muficus *Clementi VI.* Autor, ut  
 in calce: *Magister Philippus de  
 Vitrejo in laudem pape clementis  
 VI. anno suo primo circa natalem  
 domini.* Prosa rhythmica est, iis  
 similis, quas hodie *Recitativi* vo-  
 cant. Pars prior in margine in-  
 scribitur *Triplum*, a tribus putem  
 vocibus, unde olim *triplo*, qua-  
 druplo cantare, in vet. Gallico  
*Treble*, ut notat *Carpentarius* in  
*Glossar. novo v. Discantus* et hodie  
*a Tre, un Terzetto.* Initium est:

*Et supremo beata munera  
 Susciperes felix &c.*

*Carmentina pegasi pedibus  
 Transuectus es a puericia &c.*

*Et elatus succumbat ysmael,  
 Et germinet deserta syria,  
 Et depressus resurgat israel &c.*

*Plaudant senes, exultent par-  
 uuli &c.*

*Crapulatos soles prosternere,  
 Ac dum flectis sermonis timpa-  
 num*

*Corda rapis et auris organum &c.*

R 3

Con-

2771

CODICES

2772

Concludit:

*Non augentur momento secula,  
Non maria tumescunt guttula;  
Nec ulla laus addere meritis  
Tuis unquam poterit inclitis,*

*Wlgi tamen modica portio  
De te saltem clangere gestio  
Viuat viuat orbi perutilis  
Cui non fuit inuentus similis.*

Tertiae Partis non nisi Titulus adest in margine: *Tenor.* Pauca superesse putem hujus generis specimina Seculis quatuor anteriora, dolendumque, *Modulos* musicos, quibus Rhythmi hi adstricti fuerint, intercidisse.

XXXVII. fol. 158. *Incipit Responsio facta nuncijs seu Ambassiatoribus Romanorum per sanctissimum patrem et dominum nostrum dominum Clementem diuinâ prouidentia papam sextum in Ciuitate Auinionen. Anno domini M. CCC. XLIII. die XXVII. mens. Jan. quam responsionem ego frater bernardinus de urbeueteri fratrum heremitarum ord. sancti Augustini solum audiendo in publico consistorio supradictum Sanctissimum patrem et dominum nostrum michi pro tunc scribendo collegi et fideliter reportau. Proposuit in christo sanctissimus pater et dominus noster Auctoritatem istam et processit ut inferius ordinatur. E. VI. Vitis Clementis,* quas publicavit Baluzius, ea, quae ordine *Tertia* est, plenius de hoc agit negotio col. 286. Cives *Rom.* videlicet XVIII. ablegatos, interque eos Oratorum munere functos *Steph. de Columna, Franc. de Vico et Lellum Petri Stephani de Chofecis;* Papam post duos menses respondisse, et grate quidem, praeterquam ad vi-

sitationem urbis, quo invitabatur, quam multis et coloratis rationibus prolongavit, vel verius denegavit. Quae omnia videre est in *Responsione* nostra, cujus et Autor *Vitae* illius meminit, et *Baluzius* principium excerpfit in *Not. col. 862.* Atque utinam, ut in acceptandis Urbis officiis (*Senatum, Capitaneatum, Consulatam et Defensoratum* vocat *Responsio*) et *Iubileo* ad annum L. restringendo *Romanorum* votis obsecundavit *Clemens,* ita et deserta Patria Sedium suam legitimam accessisset! feliciter, ut opinor, funesta illa Sacerdotium inter et Imperium discordia composita fuisset. Quam varia ceterum, eaque partim *avex-dora* ad ejus *Vitam* et *Acta* contineat hic Codex, vix est, quod moneam.

## DCCLIX.

Codex membraneus lat. Sec. 539 XIV. Folior. 207. 4. per duas columnas nitide scriptus, rubricisque enotatus *Sermones* completur *Gilberti, Gisleberti, Guiberti* seu *Wiberti de Tornaco O. M. Theologi Parisini* et Oratoris post medium Sec. XIII. celebris, quibus ipse ita praefatur: *Executis inspirante domino sex partibus secundi tractatus cuius est titulus de*